



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De tertio verbo Christi. Ioan. 19

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. De tertio verbo Christi. Ioan. 19.

I. **A**sextâ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram usque ad horam nonam (vti prædictum ab Amos. In illa die occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die lumen) & quidem adeò insolitæ, terribiles & vniuersales, vt S. Dionysius Areopagita Hierapoli cōspiciens tantum prodigium solis ex oppositu lunæ contra om̄nem naturæ ordinem eclipsin patientis, dixisse feratur: aut Deus natura patitur, aut mundi machina dissoluetur. Quibus prodigiis tenebris æternus Pater voluit mundo declarari immanitatem sceleris, & mentis cœcitatem improbae gentis, Solem iustitiae è medio tollentis; summamque innocentiam & charitatem Filij, tandem & probrosam mortem sponte oppetentis, sicque excæcatum humanum genus è peccatorum tenebris, & umbra mortis eruentis. Quantum terrorem incusserit improbis hæc tam extraordinaria & horribilis solis obscuratio? quantum solatium attulerit probis, maximè benedictæ Matri, quæ agnoscebat & gaudebat per eam Filij

sic

*Amos 8.**S. Dion.**Ep ad S.**Polycarp.*

sic contempti, & cum inquis reputati innocentiam gloriamque mundo propalari. Compassio, congratulatio & gloria Christi.

II. Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, cum Ioanne & pijs mulieribus, quibus sensim ob ingruentes illas horrendas tenebras dilabente circumfusa impudentis populi multitudine, facta fuerat proprius accedendi potestas. Quam incredibilē talis Mater ex conspectu talis filij sic dilaniati, sic carnificati, sic consputi, ut non esset ei species, neque decor, tot iam ante dirissimis mucronibus trāsuerberata, quot illi viderat inficta vulnera, quot in eum audierat cōiecta scommata, nunc conceperit dolorem, cum illum in cruce tam dirè extensem, inter immannissimos cruciatus cum morte luctantem, tot insuper calumnijs appeti, sanis exsibilari, blasphemijjs obrui videret; pro calumniatoribus tam affectuose orantem, & latroni pœnitentiam benignè Paradisum promittentem audiret? quam, inquam, incredibilem conceperit dolorem, & quidem triplicem: compassionis, compunctionis, commiserationis? *Compassionis* cum *Filio*, cuius cruciatus, contume-

lias, & iniurias ob vehementem eorum apprehensionem, clarissimam infinitae dignitatis, innocentiae, sanctitatis & amabilitatis tanti Filij sui & Dei cognitionem, ardenterissimamque eiusdem dilectionem proinde sensit: ac si sibi ipsi fuissent illatae: **Compunctionis** de tam horrendis flagitijs tunc a persecutoribus Filij commissis, iniurijsque diuinæ Maiestatis illatis, quarum enormitatem clarissime cognoscebat: **Commisserationis** erga eosdem Filij persecutores, quorum cœcitatorem, obstinationem, imminensque æternum exitium deplo- rabaat. Quam interim heroicis resig- nationis, oblationisque Filij, & sui ipsius affectus frequentarit? quanto perfectiores, quam olim Abraham filium Isaacum in eodem loco obla- turus? quam heroica desideria, plures & diriores cruciatus, ipsamque mortem cum Filio, & pro Filio sub- eundi, quanto ardentiora, quam tot sancti Martyres millies pro Christo mori parati vñquam elicuerint? **Com- passio, compunctio, resignatio.**

III Cum vidisset Iesus Matrem & discipulum stantem, quem dilige- bar;

bat, dicit Matri suæ : *Ecce filius tuus.*
Deinde dicit discipulo : *Ecce Mater tua.* Quo affectu intimæ compassio-
nis & tenerimi amoris talis filius a-
mantissimus & obseruantissimus ta-
lis Matri iam animam acturus, eam
Ioanni, tanquam Matrem amandam,
obseruandam, iuuandamque commi-
serit, nobisque simul omnibus in Io-
anne eandem in Patronam, Aduo-
catam, Matremque fidelissimam as-
signarit ! Et similiter Ioannem, nos-
que in eo omnes eidem Matri suæ, cen-
filios curandos maternaqué prouin-
denta fouendos commendarit ! Quo
sensu similiter intimi doloris & tener-
imi amoris amantissima Mater hanc
Filij tam filialem de se, tamque pa-
ternam de suis discipulis curam vene-
rabunda acceptarit, idque non ver-
bis, sed lacrymis testata sit, & quidem
tantò uberioris, quantò clarius flagran-
tissimum eius inclinatissimumque er-
ga se suosque animum perspiciebat !!

Compassio, Gratitudo, Amor.

peculiaris Iesu &

Mariæ.

((.))

Dic